



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.

46
Me Christe Corona!

Ad Valedictionem

CHRISTIANI COLBERGII,

Z. L.

D. Danielis Colb. Doct.

& Practici celeberrimi, b. m.

fili:

&

Recitationem Metaphraseos

Vernacule ac ligata

II. Libri Georgicorum Virgilii

à quatuor Scholæ alumnis memoriter

instituteendam

die V. Cal. Sextiles

Anni M. DC. LXI.

hora 7.

Omnes literarum & artium

PATRONOS, CULTORES,

& Fautores

Honorificè Amicè &

officiosè invitat

M. CHRISTIANUS KEIMANNUS,

Z. L. P. L. C. Scholæ Patriæ Rector.

Typis Johannis Caspari Dehnii.



SALVETE PATRONI.

Prodibunt iterum in publicum nonnulli ex Tyro-
nibus Poeseos vernacula: suorumq; in eâ profe-
ctuum specimina dabunt, Libri secundi Georgi-
corû Virgilianorum Metaphrasin versibus Ale-
xandrinis, quos vocant, in clusam recitaturi.

Reperias sanè homines, qui hoc scribendi genus aut
inutile putant, aut inferius ducunt eruditione liberali. Ver-
naculam enim linguam, omnibus notam, in Rhythmos co-
gi posse ajunt, ab unoquoq; facillimè, & omnes angulos
ejusmodi chartis esse plenissimos.

Quod licet non diffiteamur; nondum tamen con-
cedimus, excitiora ingenia ab hoc studio esse repellenda.
Majestas enim linguæ Germanicæ nullo modo minor est
ullius linguæ majestate. Et quanquam hominum infruni-
torum plurimi putârunt hæcenus, putantq;, Eam decus
suum ac dignitatem per se tueri non posse, nisi aliunde Hi-
spanica, Gallica, Italica, Græca, Latina, eaq; maximam partem
mutila & corruptissima, quæcunq; occasione, expulsis eti-
am legitimis dictionibus, non sine prudentiorum risu,
assueret, & elegantissima lingua in Centonem foedisimum
degeneraret: Tamen inter ipsos bellicos tumultus, quibus
aliæ linguæ corruptæ semper fuerunt, illa divino planè,
miroq; fato elegantior emerfit ac tersior. Æquum nimi-
rum erat, ut quoniam Imperii majestas apud Germanos
erat, heroica quoq; ipsorum lingua propriis niteretur &
præpolleret divitiis; non aliarum subjaceret servitiis, aut
etiam squalleret fordibus ac vitiis.

Num verò propterea reprehendendus est aut Ho-
merus, quòd vernaculâ usus est in suo Achille & Ulyssæ?
Aut Virgilio scribenda non fuit divina Æneis, quòd in-
suisa Mævii aut Bavii carmina eruditis fastidia pariebant?
Aut, quia hodieq; plus Poetarum in Lingvâ Latinâ est,
quam

quàm muscarum olim, cum caeserur maximè; propterea
versibus concinnis est abstinendum? Aut, num idem est
verba in pedes & Rhythmos COGERE, quod versus scribere
spontè fluentes, verbisq; ac rebus elegantibus graves? Aut
quia vulgò scribimus indocti, doctiq; Germanicâ prosâ,
& dicimus, ideò non præferuntur facundi & docti Conci-
onatores & Oratores rabulis & locutuleis? Exercenda est
potius Lingva & Poësis vernacula, vel ideo, ut ab indoctis
illis Rhythmorum tutoribus seernamur.

Imprimis eruditionem liberalem mirum in modum
auget studium convertendi Latina in vernacula, & contrâ:
quâ de re jam olim viri de re literariâ optimè meriti præ-
clarè monuerunt. Solet enim fieri, ut verba, & senten-
tiam Autoris alicujus vel mediocriter docti assequantur
facilè & intelligant, difficulter autem, etiam doctiores,
aliâ lingvâ reddant ex tempore. Ut ergo Autorem pleni-
ùs & perfectiùs intelligamus, optimum est, Metaphrasin
seu ligatâ, seu solutâ oratione instituere. *Multa enim sal-
vant legentem, quæ convertentem fallere non possunt.*

Quod cum in Optimo Poëtarum Discipuli nostri fe-
cerint, ejusq; sui conatûs gustum die crastino daturi sint;
Spero eos non tantùm Auditores habituros esse benevo-
los; verùm etiam, si non laudem aliquam, veniam certò
consecuturos. Id quod à PATRONIS MUSARUM ob-
nixè contendo.

Cæterùm, & quod primo loco dicendum fuisset, eo-
dem actu CHRISTIANUS COLBERGIUS, Z L. Nobi-
lis olim, Excellentissimi atq; experientissimi Viri D.
DANIELIS COLBERGII, Medicinæ Doctoris celeberrimi,
Practiciq; per annos XXXVII felicissimi, cujus anima
est in benedictione, Filius unicus, de Patris desideratissimi,
tum viventis, Matrisq; charissimæ, & Amicorum consilio,
Scholam patriam cum Academiâ celebriore commutatu-
rus, Vale ultimum dicere, gratiasq; debitas Patriæ, Patro-
nis, ac Præceptoribus agere constituit. Cum enim ira se
gest.

gessisset, ut, quod sciam, neminem Præceptorum offenderet, vitæ laudabiliter apud nos actæ clausulam imponere voluit laudabilem. Detestatus scilicet discipulos illos Casianos & Frugiperdas, qui aut sine honore Præceptoribus habito aufugiunt: aut prolixissimo garritu in vitium ingratitude inveci, gratam beneficiorum memoriam, vicemq; spondent alacriter; præstant autem ita, ut eos omnes officii numeros implevisse dicas, si tantum odio te non habeant, aut infestent. Quibus DEO irato relictis, meliora sic merito COLBERGIO precor & o minor: simulq;

VOS PATRONOS & FAUTORES

Literatæ Virtutis,

reverenter, submissè, & officiosè rogo, ut & hoc Honoris cum B. M. piè defuncti D. D. COLBERGII, tum Pietati ac Probitati, Speiq; eximie Filii relictæ habeatis, & accedere patriamini, ut die crastino, post finitas publicas in templo primario preces, scholam vicinam ingredi, & brevissimis peroratuos benevolè audire, iisq; & Nobis porro favere, ne dedignemini. Nostra vicissim officiola in unumquemq; parata semper & prompta constabunt. VaLete, Christo Deo Vos DefenDente!

Scribebam Zittaviæ 7 Quinto Cal. Sextiles.

Series dicendorum.

CHRISTIANUS COLBERG, Z. L. breve Exordiolum
audientiam paraturus, præmittet.

CAROLUS Schröter/Z. Lusatus. Primam,

JOH: JACOB. Beerbalg/Z. L. alteram,

MELCHIOR Günther/Grypheb. S. tertiam,

MICHAEL Friederich/ Z. L. quartam

Partem Libri II Georgicorum Virgilio Carmine
vernaculo expressam memoriter recitabunt.

Quibus idem

CHRISTIANUS COLBERGIUS, loco felicitis clausulæ,
gratiarum actionem & Valedictionem
succinctam subtrexet.

os(o)so

Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







46

corona!
mem
DLBERGII,

b. Doct.
ni, b. m.

aphraseos
ata
um Virgiliū

is memoriter
m
ctiles
XI.

n & artium
LTORES,

es
icè &
itat
KEIMANNUS,
Patriæ Rector.

ari Dehnii.

